

Anni Sancti Mensis Octavus Augustus.

¹. **S** Ludovicus, postea Galliae Rex mirifice studebat puritate conscientiae; adeo ut nullâ graviore noxâ eam unquam inquinaverit. Hunc fervorem in eo excitaverat pia Mater Blanca, quæ sæpe his eum verbis affata fuit: Mallem te mortuum videre fili mi, quàm peccantem: *Spec. Iuv.* Imitare: Quasi a facie colubri fuge peccatum: puritatem conscientiae quære, & conservare labora: nihil in ea maculæ, nihil labis adhæreat.

2. Berchmannus liberiores quosvis sermones adeo fuit exosus, ut non modo tales proferret nunquam, sed & eo veniente abrumperentur ab aliis; velut ad novi Bernardini conspectum erubescerent. *Ex Vita.* Imitare: à spurcitiis talibus non solum ipse abhorreas, verum & te præsentem nemo eas proferre audeat. Palam te, hostem suum sciant, qui impia effutire non verentur. Cur risus eorum times?

3. Udo Adolefcens pijsimus, postea Archiepiscopus Magdeburgensis scelestissimus, hebeti & obtuso erat ingenio. Erubuit ad continuas aliorum irrisiones. Ergo vice quadam templum S. Mauritii ingreditur, intensissimò-
que

que affectu feliciorum in studiis successum à B. Virgine flagitat. Apparet hæc ei, blandè consolatur, spondet & profectum felicem, & Episcopalem dein Insulam: hoc tamen monitum addit: Vide ut bene utaris scientiâ tuâ; aliàs gravissima tibi pœna imminet. Eventus respondit promissioni: Mox enim eminere in schola Udo, cæteris omnibus præcellere, omnibus esse in honore cœpit: post aliquot annos in Episcopum electus. *Barzsa.* Usque huc tutò imitare: Ad B. Virginem confuge in studiis tuis: bene utere talentis & scientiâ tuâ; aliàs pœna gravis imminet, sicut Udoni. Hic enim factus Episcopus vitiiis se dedit: monitus de nocte his verbis: Udo, satis lusisti: cessa à ludo! non cessavit: hinc terribili supplicio de nocte è scelere dicam? an lecto abstractus, miserè periit. Time exitum similem. Sed & has voces altum animo imprime: satis lusisti: cessa à ludo.

4. Berchmannus videns canem aliquem jubente Domino in aquas licet profundissimas salientem, & pro panis frusto mirè se fatigantem, ait; An Domino Deo obedire par non sit pro tanto præmio, quantum cœlum est! *Ex Vita.* Sic est: Res quæ ruborem incutiat: bellua pro frustulo panis nihil non agit; nulli non periculo se committit: spondet Deus cœlum, & laborare renuis? statue spe tanti præmii nullum laborem refugere. Spes eadem consoletur molestias in studiis occurrentes.

S. Fran.

5. Franciscus Mastrillus postea in Japonia Martyr, tempore incommodo à seno & moroso aliquo sacerdote rogatus, ut ad aram facienti assisteret; vehementem in animo reluctanceam expertus est; tandem eam Dei amore vincens abir, ministrat: & ex eo tempore mirificis à Deo gratiis se locupletari advertit; quas gloriosa demum mors pro fide obita coronavit. *Ex Vita.* Quantillum est, ex quo ingens Dei in nos favor, imò salus nostra pendet! una sæpe victoria est in re levi v.g. in surgendo, in superando respectu vano, in adeundo templo, &c. Huic ergò victoriarum generi frequenter stude. Forte è tali salutem tuam dependere voluit Deus. Imprime tibi duo illa axiomata P. Lancicii S. J. Nihil leve, quod summa æstimat Majestas: nihil exiguum, quod summa reprobatur sanctitas.

6. B. Aloysius convivio interesse coactus fuerat: eo soluto ad choreas à puella nobili invitatur. Exhorruit castus animus Aloysii, & pudore suffusus clam se fugâ proripuit, jurejurando affirmans ad talem se occasionem nunquam rediturum. *Ex Vita.* Disce choreas & vanitates similes (atque utinam tantum vanitates) horrere velut castitati minus amicas. Disce fugere occasiones, ubi vel à longe periculum animæ tuæ imminere advertis.

Juvenis quidam scdissimo contra Castitatem vitio assuetus venerat ad Thomam Cantipratanum. Monuit iste, vim ut sibi inferret; peccatum addeò peri-

periculosum caveret. Rediit ille identidem eodem
 inquinatus scelere. Festo Paschatis iterum serio à
 Thoma monetur : intentatur ira divina , qua tan-
 dem vindicatura esset injurias adeò frequentes divi-
 na illatae Majestati. Abiit ille, sed eodem adhuc die
 peccatum idem infelix repetit. Adest ultor Deus, &
 apoplexiâ tantum ad tribunal divinum evocat. Una
 morientis vox erat : vindicta Dei super me ! vin-
 dicta Dei super me ! Th. Cantip. Relapsus in eo-
 dem peccata gravia metue : Vindictam Dei formi-
 da, qua frequenter in ipso peccato oppressos deturbat
 ad supplicia aterna. Disce in propositis constans
 esse, ne ultor Deus inopinantem te obruat. Vereor
 cerè, ne si hac ratione pergas in peccatis vivere,
 sub finem exclames lugubre illud : Vindicta Dei su-
 per me.

7. Landishuti in Germania juvenis cum he-
 terodoxis familiarior hæsitare in fide cœperat.
 Adest ei noctu Virgo Mater duobus stipata
 Angelis : uterque stricto gladio interitum
 minitari videbatur ; alter has voces addidit :
 Hoc ego te ense è vita ad inferos deturbabo, si
 à fide desciveris. Experrectus juvenis hæsitare
 desiit, majore Virginem Deumque fervore
 venerari incœpit. *Ann. S. 7.* Maria Virgo
 quàm sollicita est pro salute nostra ! terret,
 monet, hortatur. Mater est : filiorum amat
 animas. In Germania ad sacerdotem sacrile-
 gum Virgo Mater mulierem sanctam ablegavit,
 quæ his eum verbis moneret : Finem tandem
 libertati pone : periclitatur anima : instat in-
 teritus

teritus sempiternus : damnandus jam fuisses, nisi dilationem supplicii pro aliquo adhuc tempore impetrassem. Hæc Mariæ monitio fuit. An minus in te benignam expertus es Mariam ? An similes ad cor tuum voces illa non protulit ? Ubi esses si mater illa clemens non fuisset ? sed adverte : Impetravit ut supplicium differretur, non ut auferretur. Libertati finem pone : redi ad matrem : age gratias ; novo nomine obstrictam ei vitam consecra.

8. Fuldæ Adolefcens nobilis cubitum jam concesserat, somnum jam auspicatus fuerat : cum boni Angeli instinctu excitatus, neglecti eo die Rosarii recordatur. Vincit se, è strato surgit, preces persolvit. Interea superior lecti tabula magna impetu ac pondere in lectum decidit, certo juvenem exitio oppressura, nisi pius in Mariam affectus cum lecto evocasset, & discrimini hac ratione subducisset. *Ann. S. 7.* Imitare : Constans esto in colenda Virgine. Constantiam amat & remuneratur. Non temporalem solum, verum etiam æternam perniciem à clientibus suis pia mater sæpe avertit.

9. Viennæ in Austria Adolefcens laurè educatus, ab ipso Præceptore edoctus est artem furripiendi parentibus pecuniam illam, quam in ganeis ac lustris prodigere posset. Hanc ille pecuniam in suburbano abscondebat ; inde quantum necesse erat vicibus singulis, deprompsit. Accesserat aliquando locum illum, & ferme vacuum videns, de novo subsidio deliberat. Dúmque huc illuc animum versat ; um-

bram

bram loquentem audit & videt, quæ pecuniam
 ex voto amplam spondebat, si juvenis se ei
 devoveret. Quærenti verò juveni, unde esset?
 reposuit; post datam prius fidem rem à se aper-
 tum iri. Nolo hoc, subjungit juvenis; jam scire
 cupio, qualis aut unde sis. Hæc dicens velut
 æstro infernalis genii percitus inconditè cla-
 mare capit: Rapi se, auferri à dæmone, jugu-
 lari. Accurrunt vicini, domum referunt,
 vinculis alligant: Patres Societatis advocant,
 à quibus amuletis sacris instructus nonnihil
 quiescere cœpit. Postridie domo exiens sensit
 se vi arcanâ repente in vallem abditam ab atro
 cane deductum; sensit offerri sibi hic cultrum,
 ibi gladium, quo necem sibi conscisceret.
 Anxius recurrit ad PP. S. J. sem omnem ordi-
 ne exponit, confessioni generali conscien-
 tiam expiât, priorem quietem recipit, Deo
 servire incipit ferventius. *Ann. S. J.* Postre-
 mum imitare, non priora. Quietem consci-
 entiaæ amas? Confessione generali conscien-
 tiam emunda. Magno hæc erit in morte so-
 latio. Fuge consilia prava, cujuscunque sint
 ea. Noli ganeas & cauponas diligere; plu-
 rimorum enim criminum occasiones in illis
 reperiēs. Unde furta, rapinæ, lites, discor-
 dia, blasphemia, otium, tepor in studiis, ne-
 glectus pietatis, tristitia parentum, ira de-
 mum & vindicta Dei terrifica, nisi ex do-
 mum ejuscemodi accessione deliberata &
 frequenti? Principiis hic obsta; nec aliorum

exempla impia sequere. Anxium te, aut scrupulosum appellent; ride.

10. B. Stanislaus S. Laurentium acceperat in Patronum menstruum cum sententia hac: vigilate & orate, &c. Accepit has tanquam è coelo voces; ad mortem sanctè obeundam se disposuit; Patroni sui pro ultima horula præsidium enixè imploravit. *Ex vita.* Non casu semper sententiæ in Patronorum scedulis obtingunt. Sæpe vox Dei est. Obsequi nunquam nocet. Memento etiam cultûs Patrono tuo debiti: cum pro hora mortis tuæ invocare scdulo labora.

11. Berchmannus eâ exteriori modestiâ preces suas in templo persolvit, ut tanquam ad Aloysium alterum (sic enim vocabatur) multi concurrerent; qui mirabili illâ orantis compositione intimè se commoveri fatebantur. *Ex Vita.* O utinam non scandalo aliis sit tua in templis conversatio! Res execrabilis; in conspectu Angelorum, atque adeò ipsius judicis Dei ea agere, quæ nec præsentè Patre aut Magistro tuo auderes! facessât quæso à te omnis garrulitas, irreverentia, libera oculorum evagatio, & quidquid domum Dei dedecet. Templum accessurus actum fidei elice: Vivit Dominus, in cujus conspectu sto, dicebat Propheta. Cogita coram quanto Domino vilis vermiculus compareas, & non poteris vel minimum tantâ præsentîâ indignum admittere.

12. Ildephonsus deinde Toletanus Episcopus

pus à puero duabus præcipuè rebus studuit, castitati nimirum & tenero erga B. V. affectui. Singulari cultu semper venerabatur Virginem in cœlos assumptam, ad quod festum diu ante se præparare consueverat. Præmium speciale tulit factus iam sacerdos. Nam cum festo illo preces suas manè in templo persolvisset, apprensens ei B. Virgo Casulam manu cœlicâ elaboratam attulit, atque ad continuandos pro honore suo labores animavit. *Ex Vita.* Imitare. Festum proximè securum præcipuâ quadam devotione perage. Dies enim ille est, quo teste S. Bernardo Advocatam præmisit peregrinatio nostra in cœlos, efficacius pro nobis intercessuram.

Paltoxiensis quidam Sodalis festo assumpta Virginis neglecto sacro & communione, cuius nescio negotii causâ iter eque suscepit. In via subito velut fulmine tactus, equo excutitur, humi prostermitur, per sese horas jacet quasi exanimis: Denuum ad se rediens culpam, poenamque neglecti Mariani cultûs agnoscit, & palam cateris proficitur. Jarislavienſis quidam graviter ab alio die quodam vulneratus: En, ait, primâ vice hodie omisi preces meas ad B. Virginem, & omnia infelicitè cedunt. Ann. S. J. Amat B. Virgo exhibita sibi obsequia, odio habet & castigat negligentiam. Tu cave, die ullo consueatas preces omittas: cave festum B. Virginis abire patiaris, quo non devotione debui divinum epulum suscipias. Castigare novit negligentiam Virgo potest.

13. Berchmannus moriturus apprehendit imaginem Crucifixi, Rosarium quod è collo semper tulerat, & libellum regularum. Hæc tenerrimè amplexus exclamat: Hæc tria mihi charissima sunt; cum his libenter moriar. *Ex Vita.* Et quis non cum his libenter moriatur? tam pretiosi cultûs tenens testimonia quis non libenter ad justî licet judicis tribunal abeat? Nunquid & tu in horum amplexu mori exoptas? Vive cum illis, & morieris cum illis. Sint tria charissima tua, Jhesus Crucifixus, Jhesus Eucharisticus, Maria Virgo & individua hujus comes castitas. Hæc jam amplectere; & in horum suavi complexu ad beatam æternitatem emigrabis.

14. B. Aloysius pridie S. Communionis jejunat; de sanctissimo altaris sacramento vel loquitur cum aliis, vel cogitationes eò omnes dirigit, potissimum ultimas vesperi, & primas manè. *Ex Vita.* Imitare. Suscipies cras, non dubito, eundem quem suscepit Aloysius: O utinam eadem cum præparatione! majores profectò gratias à Christo Eucharistico experieris. Res horribilis simul, mirabilis: una communio sanctum efficere hominem potest, teste S. Theresiâ. Et nos post tot S. Communiones in eadem peccata relabimur; iidem sumus, qui antè. Unde hoc? præparatio deest. Hujus memento. In primitiva Ecclesia acclamabatur communicaturis: Accedite cum fide, tremore, & dilectione.

15. B. Stanislaus ubique in B. Virginis
 praeconia vigilans fuit: novos semper titulos,
 nova nomina excogitabat, quibus eam lauda-
 ret. Filiali planè fiduciâ incitatus litteras ad
 eandem scribit, quibus incensa animi sui de-
 sideria exponebat. Præter miras gratias à B.
 Virgine obtentas bis ab ea invisi meritis est,
 semel etiam divini filioli amplexu beari. *Ex
 vita.* Renova hodie devotionem tuam erga B.
 Virginem. Fiduciâ magnâ eam implora pro
 hora mortis tuæ; ut inter amplexum Jesu, &
 Mariæ valeas expirare. Commenda ei hodie &
 vocationem tuam. B. Aloysius hoc die enixè
 rogans B. Virginem pro felici vocatione, vo-
 ce perceptibili ab ea ad societatem Jesu voca-
 tus est: ingredi, aiebat, societatem filii mei.

16. S. Justus septennis sponte ad Martyri-
 um properabat, ut pro Dei gloria pati aliquid
 posset. S. Pastor ejus socius aiebat: Corpus
 hoc licet tenerum, in holocaustum offeram
 Deo. *Spec. Juv.* Obtulisti te sæpe in holocau-
 stum Domino Deo, & B. Virgini: sed si ho-
 locaustum est, totum Dei, totum B. Virgi-
 nis est: nihil ex eo tuum. Cur ergo corpore
 tuo abuteris, ac si tuum esset? cur linguâ, cur
 manu abuteris? obtulisti te Deo, non amplius
 tuus es. Si verò rapis ista ex holocausto, time
 vindictam Dei dicentis: Ego Dominus, odio
 habens rapinam in holocausto. Propone
 membra tua, præcipuè linguam, manus, pe-
 des non adhibere ad offensam Dei.

17. Basilius puer Constantinopolitanus moriens ad præsentes sibi Angelos dixit : Expectate, dum decem obulos solvam ; ne habeat princeps tenebrarum, quo me accuset. *Parad. Puer.* Timuit innocens ille rem tantillam : an tu majora non times ? Vereor, ne multa sint, quæ morituro tibi dæmon sit exprobraturus. Quid ages ? sic res conscientia jam compone, ut dæmonis objectiones metuerre non debeas. Aut nihil admitte, cujus te poeniteat, aut admissum ritè expiare festina.

18. In Bohemia Sodalis æquò propensio-rem se sensit ad potationes immodicas. Serium emendationis desiderium ostensurus primum vino abstinere per B. Virginis octavam : dein examine particulari ipsam vitii radicem aggressus est. Quoties errorem à se admissum vespere in examine reperit, toties acri flagellatione in semetipsum sæviendo vindictam de eo sumebat. Atque sic emendatio velox & solida secuta fuit *Ann. S. 7.* Consuetudo quævis ut firmas egerit radices, expugnari hac ratione potest. Utere ergo his mediis. Quis alias seria esse diceret proposita toties in Confessionibus facta ? Examen particulare tibi commendo, si quæ potentior in te passio viget.

Landelinus adolescens piissimè à S. Auberto educatus fuerat. Annos jam aliquot sanctè exegerat : cum parentes ipsi & amici à virtute abducere eum cœperunt, & ad agendam è sæculi legibus vitam impellere. Obsecutus impia parentum voluntati

Lan-

Landelinus vitam cepit priorum prorsus dissimilem
demum malorum consortio, & exemplo ad ipsa fur-
ta, & latrocinia exercenda delapsus est. Destinata
nox quadam fuit, quâ cum socius divitis cujusdam
domum in villa aliqua expoliaret. Jam manus
impio operi ab omnibus graviter admovebatur. Su-
bito, quo nescio casu, sociorum quidam apoplexiâ ta-
ctus humi exanimus prostermitur. Territi reliqui de-
sistunt à consilio impio. Landelinum tristes mortis
addeò repentina species assidue agitabant: angeba-
tur terror, dum in somno videre sibi videbatur so-
cium paulo antè martium ad eternas inferorum
flammâs à demonibus raptari. Terrore sic undique
perculsus adstare sibi Angelum custodem videt, atque
huc ab eo se vocibus compellari audit: Impie, an
nunc quoque istorum socius esse desideras? Vides sce-
lerum premia? emenda mores: instat vindicta ju-
diciis. Nec mora: Landelinus in se rediit, periculum
agnovit, vitam sceleratam deseruit, pœnitentiâ ad
vitæ finem usque egit rigidissimam. Pexent. 1. So-
cietas detestanda quo non deducit? juvenem sancto
à viro sancto educatum ad tam tetra flagitia? &
tu non times? 2. Sociorum unus perit, servantur
alii. Venerare & time judicium Dei. 3. Moritur
infelix in scelere suo. Quæ nunc misero utilitas ex
furtu, ex latrocinio? An tu mortem in peccato non
times? Eo momento (imprime quæso tibi veritatem
hanc) Eo momento, quo peccas, mori potes: dam-
nari potes. 4. An & nunc socius istorum eris?
quærit Angelus. Creâs plures habere inter infros ob
eadem peccata, quæ tu perpetrâs: & non times

ne socius sis poenarum, qui socius es scelerum? 5. *Agit Landelinus poenitentiam viso alterius interitu. Age & tu. Aut enim poenitendum, aut ardensum!*

19. Berchmannus nocte ultimâ graviter tentatus his vocibus horrorem peccati, quem semper habuerat, testatus est: Egône te offendam Domine? O Maria! ego non offendam filium tuum: absit à me: non faciam. Malo centies mori. *Ex vita.* Voces auro & cedro dignæ! O si tuæ hæ essent! O si frequentes essent! in hoc ostende an ames Deum, & B. Virginem; scilicet ut tentatus ad peccatum fortiter & constanter resistas. Repete in tentationibus voces has: O Maria, ego non offendam filium tuum: malo centies mori. Sic placebunt Virgini cætera obsequia.

20. S. Bernardus mulierem incantè intuitus tentationes exinde concœpit: has ut dormaret, in lacum frigidum collotenus se demergit. Dilinganus Sodalis tentationes similes extincturus nudo corpore se volutat in nivibus; ad cruorem usque se flagellat. *Ex vita.* & *Ann.* Tantum à te non peto: leviores tamen mortificationes ut pro Castitate suscipias, & suadeo & hortor. Liliū Castitatis inter spinas pulcherrimè efflorescit.

21. Sodalis quidam Neapolitanus certorum Religiosorum consortium omni studio cavebat, ne pro sua, ut aiebat, arte dicendi, Religionem illam facile persuaderent. Aliquando has sibi audit allabi voces: Non est, quod de

me

me conqueraris in extremo die iudicii. *Religioni* huic nomen dandum esse prædixi, salutis viam ostendi. Territus adolescens ingressus est Religionem illam ipsam, quam tantopere horruerat. *Lechn.* Fortè eadē sunt Angeli tui voces : Sit eadem tua obedia ; Imple vocationem tuam.

22. Monachii Sodalis admonens alium officii sui, pugno ab eo percutitur : sed memor concionis de frænanda ira habitæ, alteram etiam maxillam exhibet : Audacior alter, & huic colaphum infligit. Defertur res per alios ad Præsidentem, citatur uterque : Jubetur alter alterius pedes osculari. Tergiversatur lædens : Læsus paratissimus ruit humi, parat osculum, sed prohibetur à Præsidente, volente tantum hoc actu virtutem coronare. *Lechn.* Quot hic vides victorias ? imitare in hoc : Recordare tot exhortationum, quæ in scholis habentur : Imple monita, quæ paterno prorsus animo suggeruntur.

23. Japon quidam Adolescens ad deferendam fidem incitatus, intentatâ etiam morte, nisi Imperatoris ita iubentis imperio obediret, respondit : Æquum est, ut corpus fructibus Japoniæ sustentatum Imperatori dem ; faciat is de hoc, quod videbitur : Animam meam Deo transferibo, quem offendere nolo : & minimè æquum est id à me fieri, ut homini Regi placeam. Observa voces ultimas, & animo tuo imprime : Minimè æquum est hominis gratiâ Deum offendere. Veritas Christiana est, cui tu

toties contrariaris, quoties petente socio, homine quocunque aut dæmone Deum offendis; pietatis exercitia negligis. Propone aliud deinceps agere.

24. S. Thomas Aquinas adhuc parvulus sæpè quærit: Quid sit Deus: datâ verò explicatio-
ne aliquâ mirè in ejus amorem exardescit. *Spec. Jur.* Utilior hæc cupiditas sciendi est, ac non-
nullorum nescio quæ scire cupientium. Quàm
multa petiisti fortè scire ex condiscipulo, ex so-
cio illo, quæ ne cogitare quidem tutò potes!
stude deinceps cognitioni rerum divinarum. Si
Deum nosles, Deum non offenderes. Si infer-
num nosles, peccatum exhorresceres. Dic cum
Augustino: Domine noverim me! noverim te.

Parisiis Juvenus vixerat moribus integerrimis,
subitaneo eoque gravi morbo correptus terribilem ago-
nem sustinuit. Interea horrenda, & terribili voce
exclamat? O miserum me! utinam natus nunquam
fuissem! paulo post ait: Iustâ lance age! post aliquam
moram addit: Appone aliquid de meritis Christi.
Demum subjungit: Jam bene habet. Redditus sibi
ajebat: Vidi, ah vidi in tremendo Dei judicio stri-
ctam adeo rationem exigi de verbis, de rebus etiam
minimis; tam accuratè librari omnia, ut salutem
meam impossibilem crederem. Revixi tandem per
Christi merita; jam latus morior. *Pedag.* Tragi-
cum expectasti exemplum, & latum tibi proponi in-
quies, Studiose: Falleris; hoc ipsum, si expendis, ad-
modum tragicum est. Adolescens omnium judicio in-
nocens terribilem adeo agnem sustinet; tremendam

adeo iusto Iudici rationem dare cogitur : Quid tu tibi polliceris ? Ah non credis, non credis, quam stricta de minutis omnibus reddenda sit ratio. Time, time rationem terribilem, quam reddere cogetur de tot annis male impensis ; de tot Parentum sumptibus, &c. Sic vive, ut iusto Iudici respondere queas.

25. Berchmannus ajebat : Quoad Mariam diligo, de salute mea certus sum. Hujus amore indices Rosarium & Officium persolvit. Ad successum verò felicem rei alicujus impetrandum, Statuæ ejus scedulam aliquam affigit, in qua sic scripserat : Si obtinuero hoc beneficium, orabo tot Rosaria ; peragam tot S. Communiones &c. *Ex vita.* Cliens Mariæ nullus æternum perit. Sperare de salute tua optimè cogor, quamdiu Mariam à te verè diligere video. Imitare ; quotidie pensum Marianum solve. Pro successu felici rei alicujus ad Mariam abi.

26. S. Agapitus Martyr anno ætatis decimo quinto, cum fidem ejurare nollit, igni addicitur comburendus : Carbones ignitos ipse capiti imponit dicens : Non est magnum, si caput hoc coronandum in cœlis ardeat in terris. *Vita.* Spe præmii animabat se ad toleranda tormenta. Tu cur longè leviora nauseas, cum idem tibi à Deo præmium sit promissum ? Renova propositum laborandi pro cœlo.

27. In Polonia Adolescens quidam diutius ex tepiditate & rerum sacrarum tardio abstinent à Mysteriis sacris ; hinc mores contraxit eos, quos in ejusmodi adolescentibus pro dolor,

indies intuemur. Adest ei de nocte Custos Angelus, & manu designans locum in Tartaro spectris & ignibus horribilem ait : Si moram adhuc facis, mox detruderis. Expergefecit hoc Juvenem in sua socordia stertentem, atque ad frequentius suscipienda sanctissima Mysteria incitavit; unde vitam sanctiorem vivere exorsus est. *Ann. S. 7.* O quoties idem tibi per inspirationes internas loquitur Angelus! exhibet damnationis periculum; designat orcum, si tardes converti ad Dominum. Tu quid agis? an eo modo obsequeris; quo adolescens ille? incipe saltem hodie, & serio convertere ad Dominum; Relinque occasiones illas peccandi. Cave ullum unquam te radium capiat sanctissimorum Mysteriorum; cave statuto tempore negligas. Vox Dei est: Qui se elongant à te, peribunt.

28. Apud Panamenses Juvenis post annos non paucos in sceleribus exactos, unam de aternitate concionem amicitiae causâ accessit; eâ sic commotus est, ut eo adhuc momento vitam priorem correxerit. *Lechn.* Imitare: Conciones accede non quidem amicitiae, sed salutis causâ. Una sæpè sententia fuit, quæ obstinatissimos peccatorum animos emollire potuit. Cave ergo imiteris eos, qui concionibus se subducere clanculum solent. Vox Christi est: Qui ex Deo est, verba Dei audit.

29. Juvenis quidam Perillustris Viennæ Patri Carolo Mussart narrabat, quos jam gradus honorum esset assecutus, & quos adhuc speraret.

ker. P. Carolus post narratos singulos ajebat :
 Et postea quid ? deinde quid ? in fine demum
 subjunxit : Denique mors, mors demum seque-
 tur. Hac voce, & mortis meditatione in alium
 à se conversus Juvenis terrena omnia valere
 jussit ; eò se contulit, ubi certius honores per-
 petuos daretur obtinere. *Ann. S. 7.* Mori me-
 mento. Cogita ; Post hæc quid ? post gaudia
 tua ; post otia ; post dies & annos genio datos
 quid ? quid sequetur ! Mors. Hæc te saniora
 docebit consilia : hæc ad vitam sanctam impel-
 let : hæc in ea te conservabit. Conservavit præ-
 ter innumeros Liffardum quendam. Is vitam
 sanctiorem pertæsus reditum meditabatur ad
 sæculum. Noctu visus ei est Angelus ; surgere
 eum jussit, & se præeuntem sequi : ducebatur
 ab Angelo ad cœmiterium, & cadaver unum ex
 alio intueri jubebatur. Ostenso uno recenter
 sepulto ajebat Angelus : Vides hunc hominem ?
 citò talis eris. Cumque ad alia rursus cadavera
 ducere Liffardum vellet, reposuit iste : Parce
 mihi Domine, parce ; non enim possum illa vi-
 dere. Cui Angelus : Si non potes hoc, quod ci-
 tò eris, videre, cur vis de portu salutis recedere ?
 si vis, ut parcam tibi, promitte mihi, quod non
 recedas ab hoc loco. Promisit illicò, & fervore
 novo vitam sanctam inchoavit, neque ab ea un-
 quam destitit. Memento mori. Fortè in pro-
 pinquo est mors ? cur vitam sanctè cœptam de-
 seris.

30. Berchmannus quæsitus in morte, an ra-
 tiones

tiones suas sic composuerit, ut mortem non timeat : Respondit : Si tempus in mea potestate esset, per aliquot dies facerem exercitia ; si autem hoc non daretur, tamen libenter morerer. Quæsitus, an nullâ re angatur, nullius peccati sit memor? reposuit : Paratus sum mori. *Vita.* Felicem te, si tales esse possint tuæ in mortis articulo voces, ut esse possint. Compone tuas cum Deo rationes per confessionem generalem, dein per quotidianum examen, & confessiones ordinarias serias. Uti solum peccatum in morte angit, ita solum solatio est conscientia emundata. Huic ergo stude.

31. Guilielmus Adolefcens in Aquitania gravem morbum contraxerat, quem patientissimè toleravit. Die quodam duo Angeli, Tutelaris alter, alter Sodalitatis cum invisebant sic dicentes : Guilielme, bono animo esto. A Deo & Dei Matre missi sumus, ut tibi morienti solatio simus. Placuit Deo integritas tua & exacta legum observantia, præcipuè circa accuratam SS. Myfteriorum susceptionem. Animam tuam Sabbatho proximo cælis inferemus. Narravit hæc Juvenis, & statuto die latus obiit, *Man. Sod.* Ecce sic remuneratur B. Virgo exactam legum observantiam, & integritatem; hanc cole, & B. Virginis favorem certo tibi conciliabis. O quæ felicitas tua in morte, si a B. Virgine tale tibi concederetur solatium. Vivit adhuc eadem clemens Mater; invoca eam.

Oremus Juvenis festo S. Thecla è templo redux,

dum Ecclesia caeremonias aliâque similia predicari
ab aliis audit; ipse; Mihi verò, aiebat, una mihi
res preplacuit; una oculos meos rapuit. ut ceteris
in templo omnibus omissis huc solum cogitationes meas
dirigerem; rogabam etiam S. Theclam, ut huius unius
venustate frui mihi liceret. Nefandas & audiendas
in orco preces! abiit dies inter jocos turpes & potatio-
nes, somno & vino graves cubitum discedunt impii.
Orentio dormienti obijcitur species S. Thecla aureo
Throno confidentis, & munera cultoribus largientis:
qua demum & Orentii precibus se cadescenturam
aiebat, & donum flagitatum impertituram. Nec
mora: Obijcitur spurca puella in templo visa for-
ma: Orentius sui vix compesruit in amplexus, of-
culatur furivum. Sed ecce Venus ista in horrificam
subiit Harpyiam versa in Orientium metu attoni-
tum involat, cutem a capite ad calcem diripit, tan-
to cubiculum fontare implet, ut alii ibidem dormien-
tes tantum non exanimarentur. Orta luce excoria-
tum suo innatans sanguini cadaver repererunt. Quo
aspectu, & similis sibi impendentis supplicii metu per-
culsi, vitam impiam detestantes cœpere sanctiorem.
Pexenf. *Varia habe, qua discas.* 1. Accedere ades
sacras non ad colendam Dei majestatem, sed pascen-
dos proseruè in spurca forma oculos, ô quàm abomi-
nandum, quot tartarus dignum! qui templum Dei
violaverit, disperdet illum Dominus: Templum ac-
cede precum studio, non alio ex fine; aliàs va anima
tua! in templo oculos non forma diabolica, sed Deus
solus habeat in se defixos; aut certè modèste compo-
tos tene.

2. Momentaneam & imaginariam tan-

tum

idem voluptatem aternis inter inferos suppliciis lue
Orentius. Ubi tu lues eas, quas forasse in scelere si-
mili sectaris delicias spurcissimas? Audeſne & tu
impuro osculo consecrata Virginis castissima labia in-
quinare? audeſne manus toties ad Deum elevaras
in amplexus ejuscemodi periculosos, sodali indignis-
simos, extendere? tu sodalis? Maria consecratus?
absque pudore & stimulo conscientia! tot etiam vi-
cibus audes? Erit, erit Harpyia infernalis, qua si
non in orbe hoc ad aliorum terrorem, certè inter infe-
ros aeternum te dilaniabit. Perge; & B. Virginis, cu-
jus sodalitati nomen dedisti, amorem perfidè aded &
sacrilegè unius alteriusve persona: (coelites! hac
ego sodali Studioſo dicere cogar?) postpone. Nou-
rit illa impiè contempta dignum rependere
supplicium.

